

mine, quod cuivis amœno loco pratisque septo attribui posset, insigniretur. Equidem haud inficias eo, veteres a loci situ & ingenio, fluminibus item præterlabentibus nomina sive muniminibus sive oppidis imponere consueſſe; aſt illud etiam nemo mihi, credo, negaverit, ut plurimum in locorum notatione nominis ipſorum conditorum, cum primis ubi inluſtres magnique eſſent viri, rationem habitam fuiſſe. Quare quum *Nasum* bellicoſiſſimæ gentis bellicoſiſſimum ducem fuiſſe ſupra oſtendimus, animum aliter inducere non poſſumus, quam ut credamus, eum huius arci oppidoque, ſimulatque omnibus **NASSAVIIS** nomen dediſſe. Adde, quod prolixa gens hoc nomine gaudeat, quod præcul dubio non ab unius ingenio loci adſumſiſſent. An vero jam tum **NASUARUM** familia clara fuerit longa Majorum ſerie, atque adeo hoc nomen gentile, quis definiſſerit? Certe נשיא in lingua Heb. *Principem* notare, quaſi *elatum ſuper alios*, novimus. Quæ res nobis anſam dare poſſet conjecturam faciendi, hoc nomen *Nasua* origine eſſe Phœnicia; Quod nemini mirum leveque videri debet conſideranti, & priſcam aliquam coloniam, ſi non ex *Phœnicia*; (quod nonnullorum ex Hebræorum fide adſertum eſt, auctoritatem *Aben-Ezræ* in *Abdiam* adlegantium: כי ארץ אלמנייא הם הכנענים שברחו מפני בני ישראל *Alemannia incolæ ſunt Cananei, qui fugerunt a facie filiorum Iſrael*) tamen ex *Ægypto* ab *Ægyptio Hercule* in noſtras terras fuiſſe tranſductam. quod vel ex eo patet, quia *Iſidis* *Ægyptiis* recepta ſacra a **NB. SUEVIS** uſurpata leguntur apud *Tacitum de mor. Germ.*

C

pars